

614490560

AD IOANNEM, ET IOANNAM

Principes Lusitaniae serenissimos

Proteus,



Emmanueli Costa Iureconsulto Lusitano

Senatore Regio

Authore.



VLYSBONAE,

M. D. LIII.

Idib. Februae



Gasparis Collasij in Protei commen-
dationem epigramma.

Quis non Threicio miretur Protea cantu,
Diuina è sacro fundere verba sinu?
Miranda Aonio modulari carmina plectro,
Phœbææ que senem condere mentis opus?
Quo canit occiduae fulgentia Sydera terræ,
Dulichia & cultum narrat ab vrbe diem,
In sacra commissas memorat quoq; foedera dextras,
Et celebres toto concinit orbe faces.
Extollitque mari Regem, terraque potentem,
Et Natum, regni spem, columenque sui.
Quos Cumæa vtinam nobis in seecula seruent
Fata, & fortunam dent in vtroq; parem,
Auspicijsque regant ambo foelicibus orbem,
Alterna euertant impia regna manu.
Ista Deum tu polce senex, Vati que precare,
Ne linguæ noceant dira venena tuo.
Castalia que illi quæsitum nomen ab arte
Viuat: & æternum stet sine morte decus.

De Authoris carminibus elogiū.

Quod. C. Plinius de Timantis operibus scriptum
reliquit: merito de nostri Authoris carminibus prædica-
ri potest. Quippe in his æquè intelligitur plus semper
quàm dicitur: & cum ars summa sit, ingenium tamen
ultra artem est.

Petrus Dandræ Carnigna;

PROTEVS.

QU^{EST} in Carpathijs scopulus late' arduus vndis,
 Nota senis Protei sedes; de vertice cuius
 Prospicit egressas vicina ad littora phocas,
 Reddit & ambiguus diuina oracula rebus.

Hic illum (sic fama refert) videre puellæ
 Nereides si similem attonito, atq; immota tenentem
 Lumina: formosæ quem candida filia Costæ
 Iana, potens cantu, morientes vincere cygnos,
 Aggreditur, Venerande senex, qui pectore in isto
 Transacta, & quæ sunt, venturæque Soecla recondis,
 Quum nuper Cyprias legeremus in æquore conchas:
 Diuitijs onerata maris, fastuque superbo,
 Visa Venus sulcare fretum, Cum matre Cupido
 Ibat ouans, duplici telo spectabilis aureo,
 Frænatos supplere vicem delphinas olorum
 Cernere erat: Veneris famulas immania terga
 Balænae, ac solito maiorem Hymenæa vehebant.
 Aligeri nando varijs in piscibus ibant
 Ludentes circum pueri: qui tempora myrto
 Velati, dederant collo pendere pharetras.
 Quinetiam Neptunus, equis per cærula vectus,
 Dicitur, Oceanum, ac Phoebi petiisse cadentis
 Littora: præmissumque ferunt Tritona canorum,
 Qui totum inflata concha circum sonet æquor
 Diuinas tædas, & felices Hymenæos.
 Dic igitur quinam sponsi, quo sanguine creti,
 Quoue loco tanti thalami celebrentur honores?
 Hic etenim nos cura tuæ mandata senectæ
 Detinuit: festas licuit neq; cernere pompas.